


*Nachfolgerin.*

*Regisman-  
nus III.*

*Gedarsi  
1639.*



THE  
OF  
THE  
OF


# CLEMENS III.

OF  
OF  
OF

OF  
OF  
OF

OF  
OF  
OF

TO JAMES MOCHINGHO,  
GENERAL  
OF



SENATUS POPULIQUE  
 GEDANENSIS  
 PLANCTUS,  
 SVPER EXCESSV  
 CLEMENTISSIMI DOMINI NOSTRI,  
**SIGISMUNDI III.**  
 POLONORUM  
 ELECTI,  
 SVEONVM  
 HÆREDITARII  
 REGIS,  
 PRUSSIAE DUCIS &c.

DESCRIPTVS  
 ORATIONE,  
 IN GYMNASII PATRII AUDITORIO MAXIMO,  
 EX OMNIBVS GEDANI ORDINIBVS,  
 VIRIS PRÆCIPVIS PRÆSENTIBVS,  
 ANNO MDC XXXII, DIE MAII XXV.

HABITA  
 ⁂  
 JOHANNE MOCHINGERO,  
 GEDANENSI,  
 EDITA  
 TYPIS RHETIANIS.

IMMORTALI HONORI  
SIGISMUNDI III.  
SACRVM.

APVD  
AMPLISSIMUM SENATUM  
VRBIS PATRIÆ  
DEPOSITVM



3133

AB

AUTORE.

AM.

45

CITATIO AMPLISSIMI  
PRÆCONSULES ET CONSULES,

**A**ntistes Mediolanensis, Ambrosius, exemplo mihi præluxit: qui oratione funebri obitum Valentiniani Imperatoris est prosecutus. Cuius vestigia sequi pium videbatur, cum illætabile nuncium de excessu SIGISMUNDI III. Regis ac Domini nostri, Urbem hanc luctu implevit. Debemus charissimorum quorumcunq; funeribus lacrymas, amoris dolorisq; indices: at Regi nostro stipendiaria sit hæc Oratio mea. Vobis autem eam exhibeo, quibus ratio Regiarum pensionum in Regiâ Gedano colligendarum est concredita: ut, si ita videatur, reliquæ opum vi adjiciatur, velut terencius aliquis, super tam lamentabili casu, & in hac orbitate nostrâ, à cive, non pecunioso quidem, sed grato exsolutus, sic ad publicum solatium perorante. Ut sanè nummis bene sculptis posteritati solet commendari rerum cum lætitiâ publicâ junctarum memoria: ita pagellæ hæc quomodocunq; tornatæ circumferant, si placet, Veltram meamq; mœstitudinem, super tam tristi luctificoq; & Optimi & in nos benevolentissimi Regis obitu, ad sempiternam posterorum recordationem. Cæterum, nec Vos sine laude aut voto dimittere hîc æquum est, quibus Rex Regum Optimus Maximus benedicat, quòd Dominum Vestrum recordationibus prosperis prosequimini, & quàm agrè eo careatis, cultu, sermoneq; exprimitis. Optimè sibi de fidelitate Vestrâ polliceri potest, quisquis occupabit locum SIGISMUNDI, Cuius honorem commodis ac fortunâ Vestrâ atq; civium charissimorum Vos habuisse potiore, publicè constat. Valete & feliciter rem agite: ut Deo charos, Regi fidos, Patriæ utiles omnis Vos celebret memoria, V. Dabam Kalendis Iuniis.

Vis A<sup>bus</sup>

*fide, observantiâ votisq;  
devinctis.*

IOH: MOCHINGERVS.

A V D I O T R V M C O N V O C A T I O .

A D

V N I V E R S O S E T S I N G V L O S  
I N N O S T R A G E D A N I U R B E :

Q V I B V S

M E M O R I A

S I G I S M U N D I . I I I .

V E N E R A B I L I S E T J U C U N D A .

L E C T O R E S M E I ,

**N**Re in annos debet, quanto in luctu Vrbs nostra fuerit, posteaquam amisimus SIGISMUNDUM III. canitie, prudentiâ, clementiâq; venerabilem Regem nostrum: qui ipsi XLV. annis, quot CASIMIRUS IAGELLONIDES, Regno Polonico, Vrbiq; nostræ, quasi Deus Tutelaris quidam, præfuit. Quapropter, si quidem id eam in rem utile esse potest, ego ejus negotij interpresero, atq; dicendo, quoad fieri à me potest, exponam mœrorem nostrum, ut isthac ratione posteris ejusdem memoria prodatur. Non sum utiq; nescius, multa à me hîc expectatum iri, versaturo in amplissimo argumento: neq; ita mihi placeo, ut non perspiciam, quid quantumq; sit, quod præstare possim. Verùm tristitia, quæ in perturbatissimâ hac solitudine nostrâ animum invasit, exculabit me facillè, sicut confido, si quid ornatissimo confesû & lectissimorum hominum frequentia minùs dignum attulerò. Nec verba pendenda in luctu: sed affectum esse spectandum scimus. Neq; deerit veniæ argumentum, si fortean expectationi non respondero, à brevitate scilicet temporis: quum literis proditum sit, Isocratem peccando calamistrandoq; Panegyrico impendisse decennium. Deniq; si quantumcunq; etiam ad dicendum se parandi tempus concederetur, nō mei similis tantum, sed disertus quisq; suam sentiret infantiam, in tam eximiis cum tantum adeo grandæ vi Regis virtutibus & meritis deprædicandis. Ideoq; securum me esse quorumvis æquitas jubet, fore, ne piæ voluntatis officium temerè improbetur. In re tanti momenti & voluisse sat erit. Sin digna auribus, præter spem meam, fuerit visa oratio, probabitur; sin secus, veniam merebitur à studio colendi Regem tot annis optimè de nobis meritum, Urbis hujus Regno adjunctæ



47

junctæ civis & indigena, cùm aliud præstare mea tenuitas non pos-  
 sit, hoc conatu meum in manes Regis pientissimi affectum & cul-  
 tum testari volo. Exemplo scilicet à pictoribus sumto, qui, quo-  
 modocunq; effingunt, Regem depictum exhibent: vel, ut in Ma-  
 jestatem summam eopse suam observantiam exprimant; vel quòd  
 persuasi sint, charam multis mercem esse, eamq; juxtim vendi-  
 bilem. Quamvis me neutiquam fugiat, Alexandrum noluisse se  
 pingi, nisi ab Apelle, aut fingi nisi à Lyfippo, præstantissimis ar-  
 tis suæ Rosciis; quibus ut artis gloriam non invideo, ita in Magi-  
 stratum laudem pietatis nullus concedo. Adeste tamen atq; com-  
 parete, qui literas didicistis, aut rogatu meo impulsis, aut, ut per ma-  
 ge charum nomen Vos ego obtester, quibus sacra Serenissimi SI-  
 GISMUNDI memoria. Qui quondam magno numero densâq; ca-  
 tervâ vicos opplevistis, Eum videndi causâ, quum urbem nostram  
 honore præsentia suæ illustravit:

*Quum studio effusa matres, & vulgus inermum,  
 invalidiq; senes, turves, & tecta domorum  
 Obsedere.*

Dicturus sum, bono cum Deo, in Gymnasii nostri audi-  
 torio majori, die Maji XXV. horâ ipsâ decimâ, de causis, quæ nos  
 pepulerunt ad luctum istum, in quo versamur, super excessu Regis  
 nostri SIGISMUNDI III: Cui de felicioris vitæ luce, quâ nunc frui-  
 tur, gratulamur equidem; verùm de nobis dolemus, his in te-  
 nebris relictis, usque dum, quod precabimur, aliud affulgeat sidus  
 salutare. Valet. Scripsi die Maji XXII. Anno MDC. XXXII.

## ORATIO.

MAGNIFICI DOMINI PRÆCONSVLES  
ET CONSVLES, DOMINI MEI OB-  
SERVANDI; SPECTABILES DOMINI  
SCABINI; REVERENDI FRATRES;  
EXCELLENTISSIMI VIRI, ET AVDI-  
TORES RELIQVI, SPECTATISSIMI,  
FLORENTISSIMI, LITERATVRA ET VIR-  
TVTE VNDIQAQVE ORNATISSIMI:



Væ dicturus sum, æquis animis accipite  
& aures benevolè advertite. Quod et si  
hoc in argumento, in quo versabitur  
Oratio mea, rogare vix est necesse: ta-  
men, ut solemne teneam, etiam atq;  
etiam Vos oro. SIGISMVNDVS,  
REX PATERQVE NOSTER CLEMENTISSIMVS,  
nobis hæc fecit lugubria. Cujus memoria per tot an-  
norum seriem nobis semper svavisima fuit: nunc autem  
è vivis sublatus est semel perquam tristis, & summo cum  
mœrore conjuncta. Hinc factum, quòd hi parietes  
atq; subsellia isthæc, quæ ferè solent peristromatibus &  
aulæis ornari, ut coronam specie & splendore exhila-  
rent; pullo & lugubri panno, mœstitudinis indice, jam  
velata sint & obnupta, ut tam nobiscum lugere videan-  
tur, quàm ad dolorem adaugendum, si summo mœrori,  
qui cor invasit, quicquam accedere potest, nos impel-  
lant. Patrum & Procerum summus Ordo, qui splen-  
dore amictûs solet suam dignitatem ostentare, injecit hu-  
meris togas talares atq; atratas: ut, quantam concepe-  
rit animo tristitiam, præcipuè vultu, gestu, cultuq; pro-  
dat. Religiosi Ecclesiarum Antistites quàm acerbè hoc  
ferant fatum, satis superq; sunt publicè testati, & ipsum  
fletum planctumq; Orationibus suis flexanimis publicè  
concitavere. Vulgo in exemplum, scæminæ nobilio-  
res,

res, mundi & ornatûs studiosissimæ, non vestium tantum, sed & oris purpuram averlantur. Campanarum murmura & lesi singulis diebus insonant & clangunt, planguntq; esse amisum decus præsidiumq; nostrum. Deniq; & hoc Lyceum, pars Urbis nostræ non ultima, quid hoc de communi Patriæ luctu sentiat, me interprete, palam fiet omnibus.

Cæterum parva tamen ista sunt atq; exigua, quæ SIGISMUNDO Nostro desideratissimo, pro summis in nos beneficiis, rependimus. Sive recolamus memoriã, quæ alii in Regum Ducumq; suorum funeribus celebrandis religiosè observavere: sive, quæ à nobis jure suo exigere possunt, nisi ingrati velimus mori, quàm plurima ac, per tot annorum cursus, continua Ejus in nos merita. Apud omnes enim gentes, vel linguarum diversitate disjunctas, vel montium atq; fluviorum septis disseparratas, vel rituum atq; legum varietate disjunctissimas, fuit tralatitium; eorum, qui magistratum gesserunt, pompã & apparatu exquisito exornare exsequias. Quasi hæc non scripta, sed nobiscum nata lex sit, Regem honorandum esse, tam vivum, quàm exanimum. Ut de vetustissimis atq; certissimis primo dicamus loco, è sacris monumentis constat, præclarum fuisse studium gentis Hebraicæ in Mosen, qui populum ex Ægypto eductum in libertatem asseruit. Eum enim vitã defunctum, & in monte Nebone divinã manu sepultum, universa multitudo tricenos dies luxit, diutiùs etiam luctura, (ut credere fas est) nisi mos gentis obstitisset. Totidem quoq; dies deplorarunt Aaronem, cum vitã dignitateq; Summi Pontificis, quæ primò in eum est unquam collata, esset exsutus. Quisquis sanè adfuisset in utroq; funere spectator vel auditor, admiratus esset ejulatum questumq;

stumq; genti familiarem. Quo ipso viso auditoq; Cana-  
næi in illis Jacobo persolutis justis obstupere. Quid?  
quod Saûlis quoq; primi gentis suæ Regis, nec usque-  
quaq; boni, imò multis partibus mali, (utpote qui etiam  
in Philisteo bello, præsciis interitus sui acceleratorq;,  
occubuit) quod in Urbis Bethsanæ moenibus, ad gentis  
ludibrium, in furcam ab hostibus sublatum erat corpus,  
Jabissani cives, periculo se fortiter exponentes, ludibrio  
surripuere, ac cadaver funerarunt, publico luctu, jeju-  
nio septem dierum omni ætati atq; sexui indicto. Ut  
minùs mirandum sit, Josiæ, undecunq; optimi ac penè  
innocentis Regis, exitum populo huic tam luctuosum  
fuisse: Ipse enim divinus vates, ætate suppar, neniã  
super eo compoluit; quicum certarunt lugendi & la-  
mentandi studio Musici Musicæq; omnes. Longè au-  
tem pòst, seraq; omni ætate, tam jucundum hujus Jo-  
siæ, nomen fuisse celebris in gente ista scriptor, Sirachi-  
des, memorat, ut suffitus unguenti est gratissimus nari-  
bus, aut mel in ore, vel melos in aure. Si porrò ad pro-  
fanas literas digredi lubet, multò plura reperiemus, è  
quibus quidem sat manifestè nationum impiam pieta-  
tem præ se ferent, at intolerabilem tamen subditorum  
mœrorem, ob Regum suorum occasus, indicabunt.  
Ægyptii sanè, ut Diodorus refert, Regis sui mortem  
communi mœstitiã sunt prosecuti, vestes lacerarunt,  
nec templa nec forū frequentantes, festa solemnia non  
egèrunt dies L X XII. iidemq; luto capita deturpantes ac  
sindone subtus mammas cincti unà viri mulieresq; cir-  
cumambulaverunt, bis in die novantes luctum, atq; ad  
numerum cum cantu Virtutes Regis numerantes: cibis  
animantium, coctisq; ac vino & omni mensæ apparatu  
abstinere: L X XII dies itidem, non unguentis, non  
stratis

stratis lectis, nec Venere sunt usi: sed, tanquam defuncto filio, per eos dies, mœsti planxere. Apud Græcos verò, quod magè mireris, usurpatum fuit, imperatore aut Duce fatis perfuncto, cùm solemni pompâ funus efferebatur, ut propugnacula è mœnibus diruerentur, templa & aræ subverterentur, Lares abjicerentur (vah pietatem paganam!) partus exponerentur, cibus abstinerent, ignis quoq; in aris focusq; exstingueretur. Hos secuti sunt Romani, à Græcis non pauca mutuantes, à quibus, ut discere est ex Tranquillo, illo ipso die, quo Germanicus, Drusi filius, diem obiit, lapidata sunt templa, subversa Deûm aræ, penates à quibusdam jussi ire in publicum, partus deniq; conjugum expositi, ac penè insano & furioso mœrori supra quàm dici potest, indultum. Ut verò infinitum esset, plures solemnum varietates, aliis etiam populis, iisq; recentioribus, eodem nomine frequentatas, exponere dicendo: ita absolum foret, Polonorum in demortuos Reges observãtiam hoc loco nec commemorare, nec laudare. Illi, quum Boleslaus I. qui Russos in primis sibi obnoxios reddidit, à quibus Chrobri, hoc est, acris, ob animi magnitudinem, cognomen est indeptus, mortalitatis legem explevisset, optimo orbatu principe, annum solidum in tanto luctu fuerunt, ut neq; conviviã ulla celebrarentur, neq; choreę usquam agerentur, neq; vestibis cultioribus quisquam nobilium virorum aut fœminarum uteretur. Imitantes in eo pietatem Romanorum, qui Constantino M. mortuo, foris ac ludis abstinerunt, & omnino omnia, quæ prosperis latisq; temporibus usupari solita erant, intermisere. Sicut & jam ex eadem gente matronarum, quæ, aliã tempestate, Brutum & Valerium Poplicolam luxere, auro & purpurã omni carentes. Nec ullã ratione hic præterire pos-

C sumus

sumus descriptionem exsequiarum SIGISMUNDI Augusti, tanto certè Rege ac Regno prorsus dignarum, hoc est, non luctuosarum minùs, quàm apparatusissimarum. Quicquid mortale fuit Regis, Varlaviâ devehabatur Cracoviam, quæ Regnum exambientibus Coronam; Regno vitâq; defunctis sepulturam præstat. Republicæ Proceres ex Utroq; ordine confluerant ad funus, omnes lugubribus induti. Similiter aderant fœminæ illustres, velamentis pullis atq; crassioris filii ciliciis capita obvolutæ, ad dolorem testandum. Æra circumquaq; perstrepebant, quibus Vrbs & vicinia latè personabat, ut clamor cœlo iret. Tum funus plumbeo loculo inclusum & serico velamine nigro obductum, insignibus Regni ornatum, ab octo equis miræ nigredinis efferebatur; aulicis circumquaq; serici villosi tegumenta longè per terram errantia tenentibus. Post longum Syrma Procerum ac catervæ sequebatur. Omnibus unus habitus. Etiam equi preciosi instrati erant & Regis insignibus armati, vexilliferiq; equis insidentes. Funeri propè anteibat Bernhardus Macejovius, totus cataphractus, gladium auratum, cuspide ad latus converso, gestans; quem armiger atratus hastâ inversâ sequebatur, vexillum ac scutum præferēs. Reliqui è Senatoribus, pomū, sceptrum, coronam, summarum dignitatū Symbola, portabant. Cantores, qui decantabant threnos, subsequabantur Legatorum, Nobilitatis, & Senatus Urbici ordinem longum. Dehinc verò etiam multò plus quàm quatuor millia, cum funalibus accensis. Cùm in ædem cathedralem, quam undiq; cerei illustrabant, esset vêtum, feretro Regalia imponebantur: & Regis virtutes exponebantur sermone funebri. Deinde sacro instituto, eques cataphractus, cassidem habens, plumarum loco

cereis

50

cereis ardentibus radiantem, equo dilabitur, confractâq; hastâ gladium abjicit, &, solemnî cantione inchoatâ, Cancellarius & Procancellarius, Sigilla Regis mortui confringebant. Cæteri sceptrâ altari imposuere. Quibus factis ire licuit, missaq; est concio. Eâdem igitur celebritate in Mausolea majorum, cum Artemisiæ suæ cineribus, inferentur exluvię SIGISMUNDI: qvî nunc relictâ in orbitate universam Poloniam penè indicibili luctu implevit. Posteaqvam scilicet, more prisco (quod genti Polonicę, salutiq; nostrę felix fortunatumq; sit!) suffragiis Procerum Rex fuerit suffectus alius. Sic enim in hoc Regno comparatum est, ut, securitate publicâ salvâ permanente, Regii manes tutò vix condi possint, nisi novi Regis autoritas qvidvis licenter aufuros sub metu teneat.

Quibus exemplis, AUDITORES, accedet nostrum: quum in præsentia lugemus obitum SIGISMUNDI nostri, ut justa Ei, licet absenti, persolvamus. Qui ut imperio DOMINVS, ita affectu PATER fuit. Quod cum ante sæpe cognovimus, præsertim in turbis nuperis recentia accepimus, eaq; luculentissima ejus rei documenta. Quàm ille absens crebrò ad Senatam nostram (quod præsens æquè fecerat) in clementissimis suis atq; auro contra servandis, non tam ad fidem, constantiam & pristinarum virtutum laudem Orbi satis notam, nos hortabatur; quòd istud fieri haud necesse arbitraretur, nihil de eâ re dubitans, quemadmodum iterum iterumq; in literis compluribus disertè indicavit: sed ubertim curâ atq; Regiam sollicitudinem suam de Urbe optimè de se meritâ, incolumitateq; nostrâ inviolatâ servandâ, exposuit, explicavit. Eam ob causam ipse à militari strepitu alienissimus, & senilem anhelans requiem, spretis diffi-

cultatibus & molestiis omnibus (verba Regia usurpo) cum valido exercitu, ad defensionem praesidiumq; nostrum se Urbi admovit. Paratus videlicet canos suos periculis objectare, ut a nobis impetum imminentium malorum quacunq; ratione propulsaret. Caeterum, quae promissa in sacratissimis Ejusdem epistolis, circa hanc tempestatem scriptis, legantur, illi norunt, qui eas norunt, & ad quos istae spectant. Inter quae etiam haec sunt, quae ex datis die XXV Julij, Ao MDC XXVI, & ipsius Regis manu, recitare honorificum videtur & rei confirmandae maximè idoneum: *Nos non tantum Fidelitates Vestras usitatis Clementiae nostrae favoribus prosequemur: verum etiam amplioribus immunitatum & privilegiorum gratiis augebimus.* Quae sanè velut liberaliter Rex Clementissimus tam his, quam aliis literis est pollicitus: Ita suo loco & tempore implevit. Hic itaq; meritisimò atque admodum opportunè commemorabo gratiam Urbi nostrae concessam & Regni Procerum communiam suffragiis, de autoritate panni transmarini sigillo Urbis nostrae communiendi: ne scilicet ullus imposteriorum ejus generis pannus in Poloniam liberè transportetur, ubi & frequens & prodigius ejus usus est, nisi qui sit fide nostrà approbatus & commendatus. Quae & quanta tam Regni, quam Regis in nos sit gratia, ac commemorabile benevolentiae inusitatae genus, censeant, qui velint, modò nobis non usquequaq; malè velint. Quantumcunq; etiam fuit placitum, ut exspiraret hoc beneficium, Rex tamen in eam sententiã perstitit, non invidendam nobis eam gratiam: utpote quibus & deberetur æs quingentorum millium, & alia rerum honestissimè gestarum praemia; sed ut eadem à Se & Regno, velut bene meritis, liberaliter concessa, utamur, fruamur, gaudeamus. Quasi nempe eo pse  
ater-



51

æternam sui memoriam nobis commendare voluerit. Non secus ut item optimis recordationibus prosequi necesse habemus benevolentissimum in nos Regem, ut cæteras in præsens Eius dotes, quibus cumulatisimè fuit instructus, silentio veneremur, CASIMIRVM Jagellonidem: à quo prima Privilegia, æternatura gratiæ suæ in nos pignora, cum sempiternâ Casimiriani nominis memoriâ, posidemus; postquam idem nos in fidem clientelamq; suam ac Regni Poloniæ suscepit, nostraq; in idem Regnum studia prolixè laudatum ivit & approbavit. Quæ autem hæctenus dicta sunt, rem Civitatis publicam concernunt, quam SIGISMUNDVS Rex velut in sinu suo gestasse & fovisse videtur: quod eo etiam argumento testatum fecit, cum ferè ab iis, qui ex hac Urbe in conspectum suum venire, sæpius fuit sciscitatus: Quid Gedanenses mei? Quam plusquam Regiam ac verè paternam eius sollicitudinem jure meritissimo exosculamur & extollimus. Quid dicam? quantâ ille comitatè coluerit Consules nostros. Vidit hanc plebs, cum Rex intra mœnia hæc nostra fuit. Eandem gratâ memoriâ conservant alii, qui eam sibi Warsaviæ exhibitam norunt, & sibi ea propter valde gratulantur. Canum caput non neminis, quod nos memoriâ tenemus, ita amplexus est, ut non obscure indicaret, quàm non ignarus esset fidelitatis & operæ sibi & honori Suo conservando ab eodem navatæ. Alterius causâ, cum ad Summatem Germaniæ scripsisset, & optimum Senem laudat, quem propenso suo affectu specialiter dignum judicat, & plurima integritatis, ac summi de se præclare, majorum exemplo, merendi argumenta in eodem commendat. Longum autem & inluper invidiæ obnoxium foret, quæ me latent, venari, aut, quæ alios quoq; latent, propalare, dum inter

totidem constare unicè debent, quot Rex & illi sunt, qui tantâ florere gratiâ, ut, quem locum apud SIGISMUNDUM obtinuerint, quoq; numero fuerint, probè intellexerint. Nec civibus quidem nostris, quos semper in charissimis habuit, ad Regem aditus fuit difficilis, sed obvius potiùs & expositus. Possem istud, si opus esset, exemplis aliquibus bene commemorabilibus speciatim firmare; sed summa solummodo rerum & Regiarum virtutum fastigia ostendo. Quas inter sanè profectò est non postrema, si Civitates civicosq; habeant in deliciis. Quanquam nescio, qui multis, (quod bonorum veniâ Numinum dixerim) in eâ potentiâ, quâ unus super omnes eminet, ut plurimum sit & invidiosa & invisâ Urbicorum fortuna. Quibus ut est volupe non tondere tantum, sed & deglubere pecus Urbicum: ita malunt multos vicinos sanguinis operam præstituros, quàm istos intra aggeres & cryptas cuniculos: qui, quod facile agnoscimus, opibus suis turgidi, ubera, ut ut idem facile facere haud oporteret, subtrahunt, dentesq; suos quandoq; obvertunt. Alia fuit mens SIGISMUNDO I. qui cum probè pervidisset, vix quicquam Regno, in tantâ Eiusdem felicitate, deesse, præter Urbium & copiam & splendorem, quiq; eas incolunt, numerum; impensè favit iis, qui Urbes meditentur incolatu augere & artes vitæ necessarias excolere. Cujus in Regno successor & providentiâ suppar, SIGISMUNDVS noster, cognominis vestigia premere voluit, & Urbium vel conservandarum, vel magis magisq; ornandarum causâ frequentes apud animum suum cogitationes habuit. Utriq; verò exemplum reliquit CASIMIRVS, Magnus, usq; adeo in oppidanos & agrestes propensus & indulgens; ut vulgò rusticorum sive plebejorum Rex vocaretur.

Hunc

52

Hunc, hunc Regem, hunc Parentem, Cives mei, habuimus. Luctus & mœror, qui ferè præpedit disertissimos quoscunq; , flumen verborum nobis suggerit. Tam multiplex enim hic de tanto tamq; grandævo Rege suppetit dicendi materia, ut prope infanti vix sermo deesse queat. Neq; opus est minutissima quæq; dicendo persequi; sed strictim tantùm pleraq; attingere iuvat, & rem in pauca conferre. Audeo ego & intrepidè, & , si quid in me iudicii est, bonâ cum veritatis pace, Regem hunc nostrum, cujus lineamenta sumus exorsi depingere, cum primo principeq; populi divini Imperatore in haud paucis comparare. Quem is utiq; ad amussim in quibusdam refert, ut mireris, si advertas & oculos aciemq; intendas. Communis sanè iis ante omnia sors & locus est in nativitate calamitosiori. Ille vitales auras hausit, cùm gens paterna esset captiva ac in carcere quasi detenta, quem furno ferreo ipse idem Moses confert; & quòd omnes meritissimò in stuporem conjicit, inter genistas in profluente, ubi expositus erat, non solùm conservatus est mirificissimè, sed & in spem Regiæ dignitatis postea educatus. Ita eodem exemplo (quod perpauco ignorare credo) est vitam hanc ingressus Rex noster Gripsholmiæ Anno M D LXVI die XX Junii, horâ pomeridianâ: cùm Johannes, Finlandiæ Dux, SIGISMUNDI nostri Parens, cum universâ familiâ & ipsâ Catharinâ conjuge, quæ è stirpe Jagellonicâ fuit prognata, & tam Regis filia, quàm soror Regis, materq; Nostri, in carcerem quadriennem, (intra quod tempus, tertio custodiæ anno, SIGISMUNDVS est natus,) ab Erico fratre fuit detrusus. Quod cur sit inglorium memorare, postquam ea, quæ suprâ recensuimus, de seipso ad omnis ævi memoriam Moses scriptum reliquit; nostri autem Regis fa-

rum jam pridem publicis est monumentis insertum, non video. Ut nec inauditum, quod ab asinis & ovibus à Summo Rege, quem penes arbitrium est & vis & norma regendi, ad solium & sceptrum sint Reges vocati. Sicut autem intra custodiae septa lucem primò adspexit SIGISMUNDVS, & Moses in cistellâ vimineâ est abjectus: Ita in ipso præsepi vagiit Summi Regis filius, & Regni Cœlestis terrestrisq; heres, idemq; Gentium ac Judæorum immortalis Imperator. O prodigia! Nec desunt alia comparationis haud contortæ argumenta. Quippe illico se offert institutionis post ortum æqualitas. De Mose recenset Martyrum Coryphæus, quod à primis annis in sapientiâ Ægyptiorum fuerit institutus: cujus rei aliunde quoq; habere notitiam licet. Similiter in SIGISMUNDO non neglectam fuisse exactæ informationis sollicitudinem pro certo asseverare possumus. Ut enim ratiocinatio aquileges non fallit, qui credunt aquas subesse, ubi conspexere vaporem manè attolli: pari ratione colligere licet ex fidei educatione & diligenti suorum curâ, sibi morum ista & virtutum ac linguarum Rege dignarum, quibus in omni vitâ conspicuus fuit, SIGISMUNDVM comparasse. Præter vernaculam quidem Svecicam, & Latinam, & inde natam Italicam, utpote quæ semper apud Polonos in summo precio & usu fuere, addidit: quibus non sine audientium singulari voluptate, est admodum decorè usus. Germanicam verò exactè calluit: cujus cognitionem ferè esse utilem Polonis prudenter innuit Herburtus, dum eam, præ reliquis, exactiùs esse comprehensam à SIGISMUNDO I. proditum reliquit. Atq; Polonicam quoq; ita bene maturè imbibit, ut, in campo Cracoviensi, novus advena ac hospes, utpote haud antè pridem ad Regni Sarmatici gubernacula

53

nacula adlectus, Laurentio Goslicio, Podoliae Episcopo, tam prudentissimo, quam disertissimo Senatori, qui ipsum Oratione vernacula excipiebat, aptè & confidenter responderit Polonicè. Quod quidem Polonis longè gratisimum accidit, ut Regem foris petitem patriam lingua loquentem haberent. Namq; ejus etiam rei consideratio, in electione SIGISMUNDI, cum Regno fuit commendatus, in censum venerat. Tanti sunt linguarum ornamenta, ut in ipsis Regibus quærendis & laudandis habeatur earum ratio. Sic ab his è veterum memoriâ posteritati innotuit Mithridates, qui XXII gentibus jus dixisse fertur, suâ cuiq; linguâ, hoc est, ut ego interpretor, nisi me omnia fallunt, dialecto peculiari. E recentiori famâ est in ore sermoneq; omnium Elisabetha, Angliæ Regina, sexum universum, atq; Regum multos post se relinquens: utpote quæ uno & eodem die tribus maximorum Regum Legatis respondere audita est, Latinè uni, alteri Gallicè, tertio Italicè. Quâ in re, etsi omnium admiratione digna est, nulla necessitas fuisset SIGISMUNDO cedere, qui profectò idem præstitisset, si linguæ sunt numerandæ, non comparandæ. Levia tamen hæc sunt, nisi alia essent, quæ in Rege nostro contemplari & mirari ordo postulat. In ardore erga res sacras vilis multis est vincere Antistites. Geometriam, hoc est, eam disciplinam, cujus scientiam ab Academiæ suæ initiatis pertinaciter Plato exigebat, haud leviter attingerat. Ad modulationum verò suavitatem non aures tantùm teretes & perpurgatas afferebat; sed & poterat Symbolam se dignam conferre. Cœli atq; pictoriæ artis Specimina non tantùm judicare, verùm & exhibere valebat. Sed neq; reliquam eruditionem ignorabat: ut vel Plato Dictator, viso hoc Rege dixisset, auditove: felici-

cem esse Rempublicam, cui præfset SIGISMUNDVS,  
egregiè imbutus sapientiâ. Virtutes verò quales quan-  
tæq; in illo fuerint, nunc exponere conabimur; si nostra  
aut ullius oratio iis exponendis par esse potest. Veluti  
enim quorundam scelera omnem dicendi bene faculta-  
tem excedunt: ita quædam in aliis facta egregia explica-  
ri satis nequeunt dictione; sermoneq; & laude sunt supe-  
riora. Patientia, patientia & animi moderatio in primis  
eluxit in Rege nostro: cuius splendor è SIGISMUNDI  
moribus emicans sic meos præstrinxit oculos, ut vix ad  
reli quarum virtutum decorem attendam. Sic enim quo-  
q; fit, ut adamantem insolitæ magnitudinis & lucis in Co-  
ronâ aut veste Regiâ intueamur, cum reliquas gemmas  
vix pensi habeamus. Atq; hic quidem occurrit nova  
SIGISMUNDI cum Mose conferendi ratio. Hoc de  
exstat in sacris commentariis, quòd, etsi undiq; vexatus  
sit, fuerit tamen mitissimus, & ut Josephus eum depin-  
git, affectus omnes semper in potestate habuerit, ut  
omnino illis carere videretur, & nomina tantum eorū ex  
his, quæ in aliis hominibus conspiceret, haberet cognita.  
Nolim unquam mihi credi, nisi ejus virtutis similia quæ-  
dam exempla in SIGISMUNDO ostendero. Imò fi-  
dem faciat assertioni meæ verbis Thuanus, qui fide an fa-  
cundiâ majore? opus suum contexuerit, ignoro: quòd  
quibuscunq; annalium conditoribus palmam ambiguum  
fecerit, haud mihi ambiguum est. Idem ille haud pro-  
fectò obscura quædam, è quibus facilè mihi erit asserere  
Regis nostri æquanimitatem, aut, ut veriùs dixero, ma-  
gnanimitatem, æterno operi suo inseruit. Audiamus  
tantum, quomodo se gesserit, cum competitor Maxi-  
milianus, qui paci aut saluti Regni, quo exciderat,  
nondum consulere volebat, captus esset à Zamoscio,  
&

54

& summâ dignitate & fortitudine & literis & studio in Rempubicam & fide in SIGISMVNDVM Regem celebratissimo Heroë. Tantæ victoriæ nuncio accepto, ait laudatus autor, idemq; vix unquam satis laudandus, eandem moderationem servavit SIGISMVNDVS, constantiam in vultu retinens, nullâq; lætitiæ gestientis significatione editâ, statim datis ad Zamoscium literis, Maximilianum duci Cracoviam, vetuit, ne in triumphum potius, quàm in custodiam tantæ dignationis captivus duceretur. O insolens insolentis animi represli, imò ne leviter quidem in pectore Regio se exferentis, victo rivali & hoste, exemplum! Qui non crederemus, eum alteram sortem bene præparato pectore tulisse; quum, quod haud facilè est, æquâ mente commoda est passus & temperatâ ab immoderatione lætitiæ? Videamus è multis exemplum unum atq; alterum. Post confœderationem, quam Rokosch vulgò appellari notius est, quàm ut à me sit monendum, haud infeliciter dispulsam, non invitus, inter partes autoribus principibus, Cracoviensi & Radzivilio porrexit manum, etsi aliquandiu altercatum fuerit. Ex eodem fonte facilitatis atq; tolerantia fluxit, quòd, post nuperas turbas, Clementissimus noster, quasvis potius induciarum condiciones sit amplexus, & spem duraturæ ac solidæ pacis, in quâ vivere desiit, fuerit ingressus, quàm quòd similtates illas sanguine nostro exstingui voluerit. Efferant laudibus, qui volunt, alios è Regio censu, qui bello ferroq; repulere retulereq; quascunq; levisimas injurias; SIGISMVNDVS pertulit. Illi de aliis victoriam quandoq; reportarunt in causâ non usq; adeo bonâ: hic de se atq; animo suo, qui, ut est humanus, hoc est, ad sequiora propendens, ultionis dulcedine gustandâ proritur. Eam pravita-

tem Rex noster, vel non sensit, vel non admisit. Itaq; merito SIGISMVNDVM, unâ & alterâ literâ permutatâ, SIGISMVTHVM rectè vocare possumus: hoc est, Victorem animi, perturbationumq; suarum. Ac, ut ferè tolerantés tuetur sub umbone suo Optimus Maximus, ne noxâ sit fraudiq; virtutis à se præscriptæ & exemplo suo commendatæ studium: ita Mosem, inter tot turbas, seditiones ac murmura protexit summa divini Numinis benignitas, præsertim cùm furor aliquando insanæ plebi lapides ministrasset, quibus tantùm non obruissent sanctum Dei servum. Similiter memoratu prorsus est dignum, nec ullâ obliterandum vetustate, quod in recentissimâ hujus coronæ memoriâ est, quid SIGISMVNDO ante non multos annos acciderit, vel magis, Deo propulsante, non acciderit. Erat dies XV. Novembris, Anni XX. hujus seculi, atra & funesta valde nobis proclamanda, nisi, eo anno, sacra Domino fuisset, hoc, tanquã statore Regû, periculû ab Unctio suo præsentissimû avertente, quod Regi mortem & nobis luctum minabatur. Quâ die, (quod Regi ferè singulis etiam profestis facere fuit positû in more) SIGISMVNDVS cùm ad sacra se contulisset, ac vix pedes in ædem D. Johanni dicatam Varsaviæ intulisset, nefarius quidam, cujus nomen tam criminis indignitas, quàm horror noster vetaret exprimere, nisi cum æternâ infamiâ ad memoriam esset conservandum, Michael Piekarscius, uncâ atq; præpilatâ clavâ, quam à secundo, ut colligo, vocant Czeckanum, Regem petit, ac plagæ, quâ faciem Regis strinxerat, ut sanguis stillans togam tingeret, aliam superaddit (proh scelus audaciamq;!) & Regis, qui jam prociderat, tergum denuo ferit. Tertiasset ictum, ni Opalinius eum interceptisset; & Princeps VLADISLAVS gladio percussorem faucias-

set



55

set. In quo paulò antè alia quædam emicuerant Heroi-  
cæ indolis exempla: quum Severiam & Cernihoviam,  
jussu exemploq; Paterno, invasit, subjugavit. Sed hæc  
studii monumenta in Regnum fuere; quo de præclarum  
in modum mereri voluit Princeps: illud pietatis in Pa-  
trem fuit. Patere, Serenissime Princeps, ut præter vi-  
am hic Te colam, postquam in Tui mentionem incidi-  
mus. Etsi nihil hucusq; in Parente Tuo sit celebratum,  
quod non hereditario jure ad Te pertineat. Chara ac  
ominosa Tibi sunt nomina: VLADISLAI alterum, apud  
gentem Polonicam, à VLADISLAO, satore profapiæ Ja-  
gellonicæ celebratissimum; alterum SIGISMUNDI, quod  
quoties audimus, chari Genitoris Tui & alterorum SIGIS-  
MUNDORVM, Patriæ Patrum; subit animum memoria.  
Quid de Te non polliceamur nobis: cujus & omen spe-  
cimenq; ex factis, & indolem e stirpe æstimamus? Ma-  
cte hoc animo, & per vestigia majorum Tuorum decur-  
re: ut & generi, & magnitudini eorum succedas. Mani-  
bus quidem Parentis gratulamur de Te, in quo vivit  
SIGISMUNDVS; Tibi de Parente, qui Te commendat  
nobis, ut & in Parentem pietas, in quam narrando dela-  
psi sumus, ut famæ daretur, boni ominis & spei de Tuis  
decoribus excitandæ causâ: quæ tantò laudabilior est,  
quanto fuit detestabilior sicarii impietas. Qui tamen  
nefarius Regicida, quasi non satis fuisset scelus perpe-  
trasse, mentiendo idem auxit, ac pertinaciter eâ in sen-  
tentiâ perduravit, nonlecùs quàm rectè, quanquã cona-  
tus infeliciter successerit, se fecisse: quod sibi id negotii  
jampridem esset commissum ab Angelo, à Divis Cœliti-  
bus, & ab ipso Crucifixi simulacro, quod simplicioris ple-  
beculæ incautâ opinione fascinatus credidit indicare  
quædã, Taceo alios prætextus, quibus facinus colorabat,

F

sceleri

sceleri suo excusando minus aptos. Quas poenas lue-  
rit, paucis adjicere est operæ præciū. Eodem ille mense,  
die videlicet XXVII, est omni honore exsutus, tum can-  
dentibus forcipibus pectus laniatum, scelestam manum  
ignitus malleus rostratus & torrentes prunæ absumere,  
læva similiter est deinde securiculâ à semivivò cadavere  
avulsa, corpus ab equis distortum & luxatum & humi  
volutatum, deniq; in ignis ultricem flammam coniectum.  
Dignus tanto Parricidâ rigor! At tu, o summe Deus, in  
cujus præsidio Reges latent securi, cohibe impofterum  
tam infanda ausa, ac averte tam similia, quàm quæcunq;  
alia pericula à cervicibus Regum Polonorum, quicunq;  
secuturi sunt venturis temporibus: ne ullum eâ in gente  
Regicidii exemplum ullo tempore exstet, sicut in qui-  
busdam aliis, ubi Vicarii Tui horrendo ausu vitâ Regno-  
q; sunt non rarò miserè spoliati. Verùm, ne illud qui-  
dem, AUDITORES, desiderare quis potest in SIGISMVN-  
DO nostro, quod in Mose omnium laudibus celebratur;  
qui totis diebus populi causas cognovit, quod & mira-  
tus est Iethro & consilio subministrato ab omni istâ non-  
nisi spontaneâ molestiâ virum avocavit. Scitis, scitis  
enim ipsi A. & plurimi fando acceperere, quàm patienti-  
ssimè, toto Regni sui tempore, disertissimis litigan-  
tium querelis se commodaverit, ac gravissimas, illas au-  
rium plagas fuerit perpessus. Quasi scilicet sibi dictū  
esse meminisset à mulierculâ illâ pertinaciter occlaman-  
te: aut audi me, aut Rex esse noli. Nunc sobrietatem  
& temperantiam, raras hodie Principibus aulisq; vir-  
tutes: nunc militares Regis nostri laudes decantarem:  
quarum hæc tum præsertim in sermone fuere omnium,  
cùm Valachos in tutelam suscepit, Roswanæ, à Trans-  
sylvania Principe misso Duci, exercitum eripuit, & ar-  
mis

56

mis exfuturo palo suffigi mandavit; cum Smolenscum à Moscis, ante centum annos & ultra, non bello, sed prodicione Polonis ereptam recuperavit, dum obsidione bienni vastatam & attritam potestati subjecit suæ; ac alia sub auspicio ejus & fortunâ sunt gesta præclare: nisi viderem me nimium provehi. Abreptus enim sum in mare elogii SIGISMUNDIANI, Panegyricum tamen, opus contexere non constitui: sed causas luctus nostri, in quo nunc versamur, exponere. Ad vitæ exitum Regiæ, qui illum ipsum nobis dolorem attulit, veniendum. Ubi ne nunc quidem cœptam cum Mose collationem pertexendi deest materia & ratio. Tot utiq; annos SIGISMUNDVS non vixit, quot Moses centenarius, ac qui præterea viginti alias ætates supra centum vidit; quot exactè annos unus exegit, inter antecessores Nostri, protractus ex humili casâ ad aulæ fastigium, Piasus. At quotusquisq; inter Reges, imò homines promiscuè, cum cervis tam diu durat, aut cornicibus. In Regibus Poloniæ nullus est, qui, post dictum ejus gentis Principem ( penes id nomen enim eâ tempestate erat summa autoritas ) centesimum annum attigit. SIGISMUNDVS I. Domini nostri Avus, octogesimum, paucis concessâ leniori vitæ exodo, absolvit. Noster anno ætatis LXVI. postquam, ante triduum, paulò sensisset ægritudinem, ab attonito stupore concussus, obrutusq; catarrho, cum ferè omni vitæ tempore, quod satis constat, firmus vegetusq; fuerit, est denatus. Cæterùm populi Hebræi Princeps annos tantum XL. præfuit: Noster Regni gubernacula tractavit quinq; supra XL: cum anno à Servatoris ortu M D LXXXVII. ipsâ Adventus IIIâ Dominicâ, à Primate Regni solemniter est insignitus Coronâ. Haud multis certè profectò hoc admodum

raræ felicitatis munus indulgetur cœlitus, ut tamdiu honore summo fruantur. Sicut facilis esset computatio, quot tures Christiani nominis Regum (ut Ethnicorum non veniat in mentem) mors interea temporis pulsârit: infinita autem numeratio, ad quàm multas pauperum tabernas diverterit. Etiam oppidò rari, nec totidem, quot Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili, è Regis antecessoribus fuere, qui in hunc censum venire possunt. Unus CASIMIRVS Jagellonides exactè par est regni ætate SIGISMUNDO: ipse generosæ & inclytæ stirpis autor, VLADISLAVS JAGELLO, superior, utpote qui totis annis XLVIII. fasces regni tenuit: reliqui omnes inferiores; sicut & ipse Moses, quicum commisimus SIGISMUNDVM, pace tanti Amici divini, serviq; Deo charissimi. Quare tandem ut Mosi suo, tam bene de se merito ac undiq; laudatissimo Principi, iusta fecit populus Judaicus defuncto: ita Mosi gentis nostræ, quod hucusq; me satis evicisse pro persuaso habeo, idem honoris debemus cumulatisimè. Quem quidem nunc finiendo luctus publici ritu mœremus: at vice gratorum omnium spondeo, polliceorq; futurum, ut perpetuò nobis jucunda futura sit memoria Charissimi & Benignissimi Regis & Patris Nostri, Qui sanè id moribus suis effecit, ut SIGISMUNDI nomen pio & in ævum grato animo simus celebraturi & veneraturi. Cujus hoc ad omnes, quotquot unquam hoc oculis suis sunt & auribus usurpaturi, ex ore nostro sit præconium, ex intimâ animi nostri mente profectum:

SIGISMUNDVS III. REX A POLONIS  
ELECTVS, SVECIS NATVS, PACIS, PA-  
TIENTIÆ, PRVDENTIÆQVE ARTIBVS  
INCLYTVS, EST LETHODATVS, ANNO

CHRI-

CHRISTI M DC XXXII. PRIDIE CALEN-  
 DARVM APRILIS: CVM VIXISSET AN-  
 NOS LXVI, REGNASSET ANNOS XLV.  
 QVI VIX VNQVAM TVRBAVIT GEDA-  
 NENSES SVOS, NISI CVM MORTVVS  
 EST. REQVIESCAT IN PACE, ET VIVAT,  
 VIGEATQVE IMMORTALITATE NOMI-  
 NIS ET VIRTVTVM SVARVM.

Itaq; vix opus est, mei Auditores, ut porrò usq; adeo  
 deploremus Eum, in primis rectâ lugendi ratione negle-  
 ctâ. Nostra fata atq; mala, quæ in hac orbitatis caligine  
 nostræ cervici imminent, illo scilicet nostro Sole amoto,  
 potiùs lugeamus & metuamus. Indice digito ista osten-  
 derem, nisi de istis lippi tonsoresq; mutirent: & exspu-  
 endum esset, ex veterum more, ad malum omen, non au-  
 tem sermone exprimendum. Nemo tamen credat, nos  
 tam abjecti animi esse, ut desperemus & hastam abjicia-  
 mus: ac, Rege ad Coelites migrante, de Regno concla-  
 matum esse dicamus. Est Senatus & Nobilitatis Ordo  
 uterq; Polonicus fortis atq; solers, videbit, quid è re sit  
 suâ nostrâq;. Sunt in eâ Megistanes, in quorum mani-  
 bus est summa Regis eligendi autoritas, divinarum hu-  
 manarumq; rerum peritissimi. Tantummodo Deum  
 invocemus, ut in optima consilia conspirent. Cum pri-  
 mis enim nos erigit animosq; addit, quòd nos non lateat,  
 vivere ac superesse Regem Supremum, totius Orbis mo-  
 deratorem. Reliqui reges moriuntur omnes, & ipsi  
 Tyranni siccâ morte ad generum Cereris descendunt.  
 Quicquid alii argutentur, Reges Gallix non mori, quòd  
 nascantur, non eligantur. Stat enim sententia divina &  
 lex mortalitatis immortalis: *Ego dico*, inquit summus Ar-

G biter,

u ho-  
 tatio,  
 orum  
 sârit:  
 im ta-  
 dem,  
 is an-  
 ffunt.  
 i æta-  
 is au-  
 ui to-  
 es in-  
 us SI-  
 o cha-  
 e me-  
 pulus  
 huc-  
 noris  
 iendo  
 omni-  
 nobis  
 isimi  
 cit, ut  
 no si-  
 nnes,  
 usur-  
 ni no-  
 S  
 S  
 S  
 CHRI-

biter, *Dii estis & filii Excelsi; at certè, ut plebejus homo, estis morituri.*  
Ipse verò permanet à seculis in secula, principio anti-  
quior, fine posterior, qui solus principium atq; finem  
largitur rebus omnibus, cum allubescit. Ille vivit, inq;  
Senatum Deorum, venit. Eum adibimus supplices, ut  
vigilet nostrâ gratiâ. Romani Imperatores, commisso  
sibi bello, antequam ex Urbe pedem efferrent, Martis sa-  
crarium sunt ingressi: ac primò ancilia, tum hastam ipsi-  
us simulacri concutientes inclamavere: Mars vigila.  
Nos surdo nolumus narrare fabulam: nec nos Mars no-  
vit, videt, auditq; nec nos istum novimus, vidimus, audi-  
vimus. Ad Te altâ vocè exclamamus, o Deus poten-  
tissime: Vigila Deus! vigila Deus! oculi Tui sunt in-  
conniventes super Regnum Sarmaticum & Urbem no-  
stram! Tuum est sceptrum & diadema Polonicum. Vo-  
ca, quem vis, & utinam velis, qui nobis sit sidus salutare!  
Advocasti SIGISMUNDVM, cum ambirent hoc Re-  
gnum plures, ac nonnulli censerent, Piasum, hoc est,  
Procerum aliquem, virtutibus Regio apice dignis egre-  
giè instructum, esse eligendum. Nunc à SIGISMUNDO  
repetiisti fasces, ut alii eos offeras. Constitue quem-  
cunq;, ut pascat in Regno isthoc felicissimo populum  
Tuum, quem tritici adipe verè satias, ut veteri genti Tux  
promissam Terram incolenti tale beneficium exhibuisti.  
Adde cumulo Tantæ in eundem benignitatis, ut Regem  
inveniat, qui Tibi placeat, probeturq;. Florentissi-  
mum est Regnum: nollemus ignavo atq; ad audendum  
pigro committi. Hostes, iiq; & numero maximi &  
viribus atq; apparatu potentissimi, ingruunt; nollemus  
timido sceptrum tradi. Magna leges, eaq; ferè flave-  
scens ibi est Judæorum & ignorantium veræ pietatis leges:  
nolle-

nollemus rerum divinarum incurioso Regnum comitti.  
 Libera Respublica est: nollemus libertatis proculcatori  
 subijci. Salomonem habuimus: nollemus, ut, post fata,  
 scinderetur Regio amplissima. Hæc sunt vota precesq;  
 animi nostri. Tu fac, bone DEUS, Summe, Optime,  
 Maxime Regnorum Rector, quod vis, & quod facere  
 soles, cum Parens optima quæq; in salutem liberorum ef-  
 ficis & dirigis. Applaudemus. Dixi. Et vestram in  
 Regium nomen observantiam, quam hac præ-  
 sentia Vestra declarastis, laudo.

FINIS.



SIGISMUNDUS TERTIUS,  
POLONORUM ET SVECO-  
RVM REX.

*Anagr.*

IS PRIMUS RECTOR, NOVUS  
MOSES, LEGVM TVTOR,  
VINDEK,

In

PANEGYRICVM

funebrem

DN. MOCHINGERI.

**E** Reptum sibi quem flent regna Polonica Regem,  
Prusfa flet ereptū quem sibi terra Ducem:  
Is fortis Legum tutor, vindexq; novus  
Moses, & primus Rector in Orbe fuit.  
Hunc MOCHINGERÆ æquasset facundia Ivadæ,  
Mensura immensæ si foret ulla rei.  
Illa quidem summum æquavit de Rege dolorem:  
Summus at haud æquat publica damna dolor.  
Qui queat hæc Prusfis, queat hæc sarcire Polonis;  
Mox SIGISMVNDVM det Deus, oro, novum!

S. NÆRANUS.





et

BIBLIOTEKA KÓRNICKA

3133

NICKA

*Moche*

*Sigis  
T du*

*Geo*

*11*